Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1425
Quelle:
Copyright:

Academicum perfecisse. At Tractationem nostram, quae magnopere in ejus rem fuisset, ignorasse videtur *Renaudotius*; intellexit vero de ea *Ant. Arnaldus*, particulamque ejus gallice versam dedit ex *Dosithei* Patriarchae *Hierosol. Enchiridio*, ut habes T. IV. *de Perpetuit. Fidei* &c. edit. *Paris.* 1711. L. V. c. 3. p. 369. 4. quae particula cum *Calvinum* aperte impugnet, subdit ibid. p. 370. *Arnaldus*: *Si les Anglois qui ont tant fait valoir l'amitié, qui étoit entre ce Patriarche* (puta Meletium) *et Barton* (Legatum Anglicum CPoli) *avoient quelque bonne foy, ils devoient faire imprimer cette lettre entiere autant ou plus que d'autres pieçes des Grecs contre la Primauté du Pape* &c. Nihil opus esse *Anglis* docet *Codex* noster, qui integerrimum hujus Tractationis vel, si mavis, Epistolae continet Exemplum. Praeit ibi aliud Epistolion inscriptum: *Bartholomaeo Pezzen J. V. D. consiliario imperiali ac Sacrae Cæsareæ Maiestatis apud Turcarum Imperatorem Oratori Illustrissimo salutes P. D. in christo Deo saluatore Meletius magnus protosingelus* (πρωτοσυγκελλος) *ac Archimandrita sedis Alexandrinæ. Joachimo* primum *Sinzendorfio* a. 1577. ad Aulam Ottomanicam Legato a Secretis fuit *Bartholomaeus* iste, postmodum ipsemet cum muneribus a *Rudolpho* II. illuc missus. Epistolion hoc initio est: *Sacra hæc munera ornatissimo tibi sacræ Cæsareæ Maiestatis Oratori dono mittimus: tenuia quidem, si rerum species condimentum, quale scilicet perexiguæ ingenij uires contexere potuerunt: si res ipsas, diuinum quid supraque et humanæ et Angelicæ forsan naturæ captum sepositum.* Et postquam plura Dei miranda recensuisset, subdit: *Mirum idemque uerum est, quod carnem sanguinemque suum, verum cibum, verumque potum, id quod ipse ait, esse uoluit fidelibus, sub panis, ac uini speciebus.* Subscribitur: *e cellula nostra decimo kalen. febr. Anno salutis.* M.D.LXXXVIII. Atque ita vel ex hoc jam Epistolio adparet, *Meletium* a Dogmate Ecclesiae Catholicae Latinae stetisse. Id vero uberius cognoscitur ex altera prolixa Dissertatione epistolari, cui titulus: *Meletij magni protosingeli ac Archimandritæ Alexandrinæ sedis de Eucharistiæ Sacramento ad Clarissimum Eduardum Barton pro oratore Serenissimæ Anglorum Reginæ.* Observa *Bartonum* non fuisse ipsummet Oratorem sed fortassis Oratori a consiliis aut arcanis, id quod confirmatur alio Epistolae loco *fol.* 6. ubi *Calvinum* impugnaturus *Meletius* ita praemollit: *Hæc cum ego ad te clarissime Eduarde aut coram dico (id quod sæpe feci) aut absens scribo (id quod nunc primum facio) dico uenia tua, atque scribo certus animi te æquo accipere animo, etiam quæ animum mordeant, tum propter candidissimos mores quibus te Deus max. ornauit, indolemque tuam amabilem reddit, tum ob studium veritatis*